



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

33 Vxor pauper in bonis mariti diuitis ante copulam mortui dotem habet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

fecit, & ob id infamata manet, votum potius im- lere, quam illam ducere tenetur; cum talis prius Deo, quam puellae obligatus fuit; c. Prior. de reg. iur. in 6. & sponsalia secuta etiam cum copula, votum precedens religionis non tollit. Arg. c. commissum. de sponsal. Rursus, Qui cler. vel vouent. In quo casu satis erit, quod prius damnum puellae illatum restituat, dando ei tantum, quanto indiget, vt aequè bene collocetur, ac collocata fuisse, si infamata non fuisset, c. 1. & 2. de adulter.

DECISIO XXVI.

Ex conf. 5. alias 6.

26 **F**ilij, qui ex concubina, qua matrimonium cum alio viro contraxit, qui ab ea diu absuit, & incertum erat an viueret, nascuntur, viuentem priore marito concubinae, illegitimi sunt, nec per sublequens matrimonium cum praefata concubina post mortem prioris sui mariti solemniter contractum, legitimi efficiuntur. Alij tamen, qui probarent se natos ex eadem concubina post mortem prioris mariti, per tale matrimonium sublequens solemniter inter eos contractum legitimi censendi sunt, cap. tanta. qui filij sint legitimi.

DECISIO XXVII.

Ex conf. 23. alias 15. de conuers. coniug.

27 **C**ontrahentes sponsalia de futuro & se inuicem maritali, & vxorio affectu ante Concilium Tridentinum cognoscentes: si illa postea nup sit alteri publice, (cum sic alteri nubendo adulterata sit, & in adulterio maneat, cap. Agathola. 27. q. 2.) ipse etiam sine solutione Matrimonij quoad vinculum, sed quoad thorum, & cohabitationem separare potest, & sic separatus etiam sine vlla Papae auctoritate permanere, & vel religionem profiteri, vel ordines sacros sine metu irregularitatis, aut suspensionis suscipere & tunc ordinibus suis absque aliqua Papae dispensatione vti valet, & suae conscientiae satisfacere, eam, vt caste viuat, admonendo.

DECISIO XXVIII.

Ex conf. 24. alias 1. de Matrimon. contr. contra interd. eccles.

28 **S**i quis iuuenis nobilis, quasi fascinatus, inuito eius patre cum femina vilissima, non sine maximo eius familiae dedecore, matrimonium contrahere omnino vellet, in se & a patre eius impetrati, & a summo Pontifice motus propitijs concedi potest, per quem prohibeat sub Censuris, & penis grauissimis parochio praedictarum personarum, qui nunc est, & qui mutatis domicilijs foret, & etiam ordinario eorundem, ne huiusmodi nuptijs intererent, nec alijs presbyteris facultatem in eis interuenientibus facerent intra annum ab hoc: Arg. cap. si de clandest. despons. & cle. 1. de consang. vt infra tale tempus videatur, si mediantibus orationibus ab huiusmodi fascinatione liberari possit, ita vt in se reuerus iuuenis, quod sibi, & suae familiae conuenit, faciat.

DECISIO XXIX.

Ex conf. 25. alias 2. de eo qui cogn. consang. vxor.

29 **Q**ui rem habuit cum matre, & postea sponsalia cum filia contraxit, cum qua etiam rem habuit, & postea etiam rem cum matre habuit, si tacite, vel expresse dispensationem procurare promisit, seu cum proposito, & intentione obtinendi, & procurandi dispensationem contraxit, in foro conscientiae pro viribus dispensatione quaerere tenetur, vt valide cum filia contrahere possit, & post eam obtentam solempiter cum eadem contrahere; sin vero sponsalia simpliciter contraxit, nulla facta mentione expresse, aut tacite de dispensatione, cum hoc casu sponsalia videantur omnino nulla, & proinde ad nihil obligantia; Arg. Reg. praefat. de regul. iur. in 6. ob deceptionem tamen, qua sciens impedimentum contraxit cum filia ignorante fornicationem eius cum sua matre, & consequenter impedimentum, quod erat inter ipsos, damnum deflorationis eius resarcire tenetur.

DECISIO XXX.

Ex conf. 26. alias 6.

30 **C**um matrimonium sine vtriusque partis consensu consistere nequeat, c. si inter. de sponsal. & actus agendum ultra intentionem eorum non operantur, cap. si. de praeb. quotiescumque ex sufficientibus coniecturis probari potest, contrahentes, aut vnum contrahentium intentionem contrahendi, aut consentiendi non habuisse, sed decipiendi, & simulandi matrimonium inter eos contractum defectu consentus; & intentionis ambozum, vel alterius partis, fuisse omnino nullum iudicandum est.

DECISIO XXXI.

Ex conf. 27. deesi in Nonis.

31 **Q**uia concessio regulariter, & dispositio generalis generaliter est intelligenda, c. si Romano rum, d. 29. & omnis parochus regulariter omnes vices suas tam generaliter, quam specialiter alteri sacerdoti committere potest; Arg. gl. solem. in c. peruenit d. 95. & a regula non difformit nisi expresse caueatur Glia l. omnis definitio, de regul. iur. in 6. Sacerdos ex generali licentia sibi impartita a parochio, vt omnia quae ad curam pertinent, exercere possit etiam matrimonio iuxta Concilij Tridentini decretum contrahendo inter se potest, maxime cum assistentia parochi in matrimonio, non tanquam functio dignior parochi requiratur, (quandoquidem aliae functiones sacramentales, quas tamen alteri committere valet, longe maiores sunt) sed vt non desit probatio matrimoniorum, & ne matrimonia clandestina contrahantur.

DECISIO XXXII.

Ex conf. 28. deesi in Nonis.

32 **Q**uamuis occisio vxoris sine iudicio impedimentum ad contrahendum matrimonium inducat c. interfecto. c. ad monere. 33. q. 2. mulier tamen quae sine licentia nubit alteri, qui ipsa ignorante, vxorem suam occidit, validum tum eo matrimonium contrahit, cum vxoricidium impedimentum sit impediens quidem matrimonium contrahendum, sed non dirimens iam contractum ex Nauari in Man. c. 2. num. 74.

DECISIO XXXIII.

Ex conf. 10. alias 41. de success. ab intestato.

33 **V**xor pauper in bonis mariti diuitis, ante copulam morui dotem habet, sicut vicissim maritus pauper partem dotis lucrat, quando coniux diues ante copulam carnalem, & post matrimonium per verba de praesenti contractum moritur. Auth. praeterea. C. vnde vir, & vxor.

DECISIO XXXIV.

Ex conf. 30. alias 9. de clandest. despons.

34 **S**icut electus, & confirmatus in episcopum, & nondum consecratus, omnia ad episcopum pertinentia exercere poterit, praeter ea quae sunt ordinis; Arg. c. suffraganeis, & c. transmissum de elect. ita etiam & Parochus, pro uius canonice de ecclesia parochiali, etiam si nondum sacerdos sit, omnia potest praeter ea, quae sunt ordinis; vnde & parochi praesentia, qui nondum sacerdos est, in matrimonio iuxta Concilij Tridentini decretum contrahendo sufficit, quamuis alius vices Parochi supplere non possit, nisi sacerdos sit.

DECISIO XXXV.

Ex conf. 31. alias 2. de cond. apposta.

35 **M**ulier promittens ancillae centum pro dote, cum conditione si ei honeste seruiret etiam si post nonne annos seruitijs, & viginti quinque transiisset ancillae, permiserit se licite deservari ancilla, ad soluendum tamen ei centum promissa, vel saltem salarium honestum cuiuslibet annum quo seruitur, & consuetum solui ancillis eius qualitaris, cuius ipsa ancilla est, obligatur; cum pariter filiam; & herus ancillam ante viginti quintum annum non collocantes, in mora tradendi eas manibus cequantur. Auth.